



Thesavrvs|| Locorum|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. XXXV. De Locatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

possessorio. l. cum fundum 18. §. cum qui 1. ff. de vi arm. cap. significavimus 36. extr. de testib. ita è contrario sententia & litis pendentia in possessorio non obstat agere volenti in petitorio. l. 1. in eadem 14. §. fin. de except. rei judic. Gœdd. 3. Conf. Marp. 32. num. 172.

VII.

Litis pendentia per solam etiam citationem inducitur, nec litis contestatio requiritur Myns. 4. obs. 26. Intellige si modo ea citatio sit apta, ut ex tenore citatus statum controversiæ cognoscere possit, eaque à iudice competente decreta parti; adversæ per nuncium legitimè & sufficienter sit insinuata. Mascard. de probat. concl. 386. n. 6. vol. 2. Regner. Sixtin. 2. Conf. Marpurg. 18. n. 71.

CAP. XXXV.

De Locatione.

Axioma I.

Locare nemo potest quod non habet ipse in sua potestate ac possessione, l. luitus. C. de agri. col. & cens. lib. 11. Welenb. 2. conf. 62. num. 7.

II.

Quodcunque factum dependet ex artibus illiberalibus, illud est locari solitum, quia hoc certa mercede æstimari potest. l. 5. §. 2. ff. de Præscr. Verb. cum ut plurimum aliquid post se relinquat, unde utilitas in alterum redundet. Ita ergo tabulam pingere d. §. 2. onus vehere l. 13. §. 1. alterius servum custodire l. 1. §. 9. ff. de pos. & similia sunt facta locari solita. Non item operæ professorum, advocatorum, Medicorum, &c. Inde quod hic præstatur, non in operarum compensationem sed grati animi declarationem solvitur. Bachov. ad Treutl. Vol. 1. disp. 29. §. 2. lit. G.

III.

Quoties locatur factum, toties præcisè pecunia numerata adesse debet, quia alias fortet Contractus innominatus do ut facias. l. 5. §. 2. ff. de Præscr. Verb. ita si quis locaverit operam ad ædes meas exstruendas, merces debet in pecunia numerata consistere.

IV.

Quoties in locatione non intervenit factum sed res, toties loco mercedis alia res dari potest. l. 21. C. de Locat. quia sic nullus intercedit contractus innominatus; nec enim facio ut des, quia traditio non est tale factum quod in contractum innominatum venit, nec pro traditione sed pro usu alteri quid præstatur. Ita ergo pro prædio locato dari possunt fructus ex prædio d. l. 21.

Limita, ut procedat præprimis, si (1.) res sit frugifera, (2.) si illa res, quæ loco mercedis datur, sit in se certa. Hinc si v. g. conveniret, ut conductor tertiam vel quartam partem fructuum det, non erit locatio conductio, sed contractus innominatus facio ut des.

V.

Locatio & emphyteusis non transfert dominium, licet ad longum tempus fiat.

Limita: à principe concessa emphyteusis dominium transfert. l. 5. C. de divers. prad. Nov. 7. c. 1. Perez. C. de excus. mun. n. 8.

VI.

Argumentum & statuta de venditione loquen-

tia ad Contractum locationis saltem extendi possunt quoad terminos habiles, nam diversa interdum est eorum ratio l. 63. de adilit. edit. Brunnem. ad l. 2. C. de vendend. reb. civit.

VII.

Qui pecuniam vel species publicas vehit, potest compellere locatores eorum ut sibi locent. Brunnem. C. de Curf. publ. col. 3.

VIII.

Quoties ob necessitatem supervenientem ante tempus locationi præfinitum expellitur conductor, toties pro parte remittenda pensio & finita necessitate res conductori restituenda. Ratio prioris: quia pro parte usus rei fuit ademptus, hinc etiam pensio pro usu solvenda ex parte remittenda. Ratio posterior: quia cessante causâ expulsiōis, quæ erat temporaria, pristinum Jus reviviscit.

IX.

Quoties damnum in ipsa perceptione fructuum patitur conductor, toties remittenda pensio, quia sic fructus nondum suos facit conductor, nec usum rei locatæ percepit: ergo nec periculum fructuum ipsius esse poterit, si v. g. segetes ab hoste demetiantur vel à raucis corrumpantur.

Limita: (1.) nisi conductoris culpâ damnum obtigerit. Lauterb. de Locat. §. 2. n. 1. (2.) nisi damnum esset modicum & tolerabile, quod iudicis arbitrio relinquitur,

X.

Quoties colonus damnum patitur in fructibus jam perceptis, toties non minuitur pensio, quia sic usus rei locatæ fuit præstitus & ex perceptione fructuum conductor dominus effectus, domino verò res quælibet perit. Carpz. P. 2. C. 37. def. 20.

Limita, ut fructus tunc demum percepti dicantur, quando fuere collecti & in horreo reconditi. Zœf. ad ff. Locati n. 24.

XI.

Quoties successor singularis per iudicem ex necessitate juris succedit, toties tenetur stare locationi l. 8. §. 1. ff. de reb. autor. judic. possid. quia videtur iudex assignare rem in eo statu, in quo est. Exemplum est in eo, cui sub hasta res vendita est. Carpz. P. 2. C. 37. def. 4. n. 6. Contraria Exemplum vid. apud Zœf. ad ff. Locat. n. 45.

Limita, nisi sententia iudicis fraudem contineat. Carpz. d. l.

An Conductori præferatur emtor, vid. emtio.

CAP. XXXVI.

Locus, Situs, Situatio.

Axioma I.

Locus non est fundus, sed portio aliqua fundi l. locus lo. ff. de V. S. fundus enim integrum aliquid est, & plerumq; sine villa locum accipimas. Fundus autem est substantia & continet omne quicquid solo tenetur, favole in l. quæstion. 115. de V. S. & locus accidens, adhæretque suo subjecto; inde non magnitudo locum à fundo, sed nostra affectio separare dicitur. Sic locum religiosum vocamus, in quo corpus humanum sepultum est. l. 2.